Placita Stoicorum nonnulla, quæ summum spectant moralitatis principium, cum Kantianis comparata.

Dissertatio Philosophica,

quam

Consent. Ampliss. Philos. Ord. Lundensi

publice defendet

JOH. VICT. HOFLUND,

Philos. Mag.

Respondente

A. P. DALHSTRÖM,

Calmariensi.

In Acad. Carolina die XXI Junii MDCCCXXXIII.

P. II.

Londini Gothorum,

Typis excudit C. F. BERLING,

Universitatis Typographus.

MDCCCXXXIII.

Viro

Maxime reverendo et præclarissimo

Mag. ***JOHANNI FORSELL,***

Col. Scholæ Calmar.,

Præceptori optimo semperque colendo,

hasce pagellas sacras

voluit, debuit

RESPONDENS.

firmat Chrysippus, humanam naturam non esse considerandam nisi tamquam partem naturæ, cui totum paret universum, cum eaque, si non eandem, saltem esse consentientem, sententiam ejus specie magis quam re ipsa a Cleanthis dissentientem invenies et nihil continentem novi, sed tantummodo, quod in formula Zenoniana nimis erat ambiguum, certis circumscribentem limitibus. De altera distinctione posthac loquemur, ex allatis satis, ut credimus, commonstrato hominem eum revera esse sapientem, qui in omnibus, quæ facit aut omittit, naturam sequitur, optimam ducem, tum universalem, tum humanam; quarum vero hæc est ratio, ut, qui alteri obsequium præstet, eo ipso facto alteri etiam satisfaciat.

2:o) Nos deinde Deo parere jubent. Duo nimirum omnium, quæ exsistunt, ponebant principia: alterum activum i. e. Deum, qui, auctor rationis, ipse summo gaudet intellectu, alterum vero passivum i e. materiam seu naturam sensu strictiori, quæ ipsa legibus rationis supremæ subjecta, auctor earum esse nequit. Cum vero nihil omnino evenire potest, nisi Deo auctore, illoque nemo, cui obsequium præstare debet, major exsistit, sponte efficitur, quamquam notiones Dei et naturæ nullo modo sint eædem, hanc, quo Illi placet modo, operare. Naturæ igitur latius, ut in formula Zenonis sumtæ, obtemperamus, si accurate perpendentes, quid jubeat Ille, qui nutu regit universum, voluntatem ejus normam actionum supremam habeamus. Hinc patet, hanc formulam ab illa verbis, non re, dissentire. Cum his ipsorum effata Stoicorum egregie conveniunt. q)

3:o) Rationem demum rectam sequi nostrum esse dictitant. Hominem Stoici μικροκοσμον putabant, inter cujus partes constituentes animam et corpus, eadem obtinet ratio atque in natura, sensu sumta latiori, Deum inter et materiam. Hæc igitur formula a ceteris minime dissentiens invenitur, quod quidem eo magis patebit, si conferre placuerit, quæ hac de re disseruit Seneca, r) a nobis, brevitatis studiosis, hoc loco omittenda.

Obs. Hoc loco silentio præterire non possumus Stobæum narrare,

q) Arrian. I: 12, 5.
r) Ep. 65.

Zenonem, nulla omnino facta mentione naturæ, nihil aliud, nisi ut unumquemque ὁμολογουμενως ζην deceat, in principio a se edito præcepisse, sectatores vero ejus nonnullos, cum hæc nimis vaga atque multiplicis interpretationis crederent, exemplum posuisse naturam, quam in agendo exprimamus. Illa vero formula utrum ad Zenonem merito referatur, nec ne, vix umquam poterit dijudicari; quæ si etiam Zenone sit tribuenda, minime tamen sententias de principiis Stoicorum a nobis propositas evertit, cum illam iis adnumerare formulis, quæ rationem nos sequi jubent eamque ob caussam mediate saltem, etiam eis, quæ convenientiam cum natura præcipiunt, omni jure nobis videmur.

Ex his, breviter expositis, sponte ut credimus, efficitur, Stoicos non ut contendit Cel. Stäudlin s) plura, sed unicum tantummodo summum principium, variis quamqnam expressum formulis, proposuisse. Patet enim hoc ex eo, quod omnes, quæcumque apud eos inveniantur formulæ, ut dicta principalia consideratæ, ad principium illud, quodjubet ὁμολογιαν τῃ φυσει seu perfectionem hominismoralem jam in hac vita efficiendam, possint referri eique subsumi.

§. 4.

His de summo principio Stoicorum præmonitis, rationem, qua rem eandem tractavit Cel. Auctor Criticæ Philosophiæ, consideremus.

Kantius, cum in eo est, ut judicium de veteribus ferat principiis novumqne a se propositum defendat (de quibus imprimis conferas, quæ ipse uberius disputavit in libris, qui inscribuntur: Critik der Practischen Vernunft et Grundlegung zur Metaphysik der Sitten): t) hac ratiocinandi methodo principium, de quo quæritur: inveniri, demonstrare conatur. Unusquisque, sibi conscius, regulas quasdam subjectivas, quæ e principio ceu fonte communi pos-

---

s) Ich behaupte, das die Stoiker kein einfaches höchstes Princip, sondern im Grunde mehrere oberste Principien der Ethik annahmen. Vid. Geschichte der Moral-Philosophie von Carl Fredrich Stäudlin. Hannover 1822, pag. 294. Quæ quidem sententia vinculo arcto cum persuasione ab eodem auctore alio quodam loco proposita: nullum omnino principium absolute summum posse inveniri, cui pauci, quoad scimus, calculum adjecerunt, cohærere nobis videtur.

t) Sufficiat uno loco hos nominasse libros, ne quotiescumque aliquid ex eis afferre e re nostra esse credimus, simul in eis indicandis moremur.

sunt deduci, eligat et in agendo sequatur, necesse est. Cujus quidem principii ea est ratio, ut in eo constituendo aut respicere possimus ad rem quandam, ope rationis vel experientiæ cognitam, quam ut objectum facultatis nostræ sentiendi, finem habeamus agendi, itaque legem constituamus primariam, ut, qui eam sequantur, hoc ipso facto, id quod summum bonum sibi proposuerunt, assequantur, aut nulla re, quæ sensus alliciat, admissa, legem proponere possumus fundamentalem, cui quidem nulla alia de caussa, nisi quod lex sit, obsequium præstetur. Voluntas igitur, quæ, cum bona sit, maximi semper est momenti dignaque, quæ præ ceteris in homine æstimetur u) aut propensione quadam animi, aut reverentia legis flecti potest et moveri. Illud si fiat, quamquam actiones nostræ speciem præ se ferant formosissimam legibusque externis quam maxime videantur consentientes, nihil tamen ex eis in nosmet ipsos rednndat gratiæ meritive; idque ea de caussa, quod facta nostra non e materia, sed ex eo, quod nos ad agendum impellat, dijudicari debeant. Homo legi morali revera satisfacere nullo modo potest, nisi se agnoscat eidem esse subjectum. Sensum vero, quo quendam superiorem agnoscimus, reverentiam appellamus. Principium i: e: regula summa objectiva et cognoscendi et obligandi inveniri non potest, nisi nulla omnino proprii commodi habita ratione, in eo constituendo id tantummodo respiciamus, quod necessarium esse conscientia nostra affirmat. Cum igitur neque propensiones, quæ hominibus insunt, nec fines, qui attingi possent, hac in quæstione debent considerari, nihil, nisi ipsa, ut ita dicam, universalitas regulæ restat, ex quo principium elici possit. Est igitur hæc vere summa regula agendi: sequere semper eam normam, quam legem esse universalem velles. Ex quo quidem principio, quod formulis variis potest enuntiari, quid sit faciendum vel omittendum, potest deduci. -- Quæ non omnes perspicientes aut agnoscentes, in eo errarunt, quod finem investigare summum, ad quem omnia tendere debeant, ex eoque principium deducere sint conati. Quod præpostere esse factum, unusquisque,

---

u) Cum eis, quæ de bona voluntate in exordio libri, jam supra laudati: Grundlegung zur Metaphysik der Sitten, disseruit Kantius, conferas quæ disputarunt Stoici de *Καλω* ejusque præstantia. Vid. Diog. Laërt. Lib. VII: 100.

qui eis, quæ jam sunt prolata, assentitur, facile largiatur. Cui quidem ratiocinandi methodo originem debent principia omnia materialia seu heteronomica, principio vere formali opposita. Quæ vero cum semper rem quandam ponunt, ad quam attingendam omnia, quæcumque agimus, tendere debeant, per se patet, *suadere* quidem posse, non vero, quod est principii veri, *jubere*. Hypothetica igitur sunt et ad disciplinam condendam minime valent, quoniam arbitrio, non legi, omnia statuenda permittant, sin vero principio, tamquam fundamento, superstruantur, minime sunt rejicienda. — Hactenus de principio Kantius, cujus in partes, pleraque quod attinet, lubentissimi transgredimur, firmiter imprimis tenentes, quæ ipse de principio formali, uno vero, est professus. Attamen ipsum Kantium non omnia principia materialia ejusdem esse naturæ prætiive judicasse partim ex eo certissime patet, quod ea in subjectiva et objectiva diviserit, partem vero ex eo, quod principium, perfectionem ontologicam summum omnium finem proponens, præ ceteris eminere crediderit. Nobis perpendentibus hæc rei ratio videtur: omnia principia heteronomica eo ipso facto sunt etiam materialia, ita tamen, ut alia principiis formalibus propius accedant, alia ab eisdem magis sint remota. Jure igitur contendere nobis videmur, duas constituere classes, quarum altera rem quandam ope sensuum cognitam, cui studeamus, proponit, altera vero nihil, nisi quod bonum esse ratio dictitat, dignum, quod appetamus, judicat. Principia igitur, quæ dicuntur materialia, in sensualia (seu, si mavis, empirica) et rationalia dividere liceat x). Hæc (quibus principium a Stoicis propositum adnumerari debere vix est quod moneam), quippe quæ nihil nisi ideam contineant, formam, si hoc vocabulum mutuari licet, transitionis inter formalia et materalia nobis constituere videntur. Quibus præmissis, patet omnino, sententias hac de re Kantii et Stoicorum in eo consentire quod universalitatem jubeant regulæ, sin ελατηρα, quem ad-

x) Vocabula: empirica et rationalia non satis definitæ sunt interpretationis et revera vario sensu (præsertim a Kantio eisque, qui eum sequuntur) sunt adhibita. Ad notiones, de quibus quærimus, significandas magis sane placeret, usurpare vocabula: realia et idealia, nisi jam antea a Cel. Krug, ad sensum longe alium significandum essent adhibita.

mittunt, animi respisciamus, quodammo inter se differre. Quam ipsam differentiam opinione forsan esse minorem, quoad potero, demonstrare conabor. Quod si successerit, minime probanda videtur sententia Ven. Stäudlin, x) qui contendit, principium Stoicorum nullo modo cum Kantiano posse comparari.

§. 5.

Utrum principium quoddam propius ad formalia accedat, nec ne, non modo ex ipsis verbis, quibus est propositum, sed potius e modo, quo ab ipsis auctoribus sit adhibitum, nostra sententia, debet dijudicari. Stoicos vero haud exiguam posuisse operam in eo delineando, qui omnibus ex partibus legi morali satisfaciat, est notissimum. E qua igitur *Sapientis*, qui ab eis est dictus, descriptione facillime percipi potest, qualis indoles fuerit non solum præceptorum, quæ de moribus ediderunt, sed etiam principii, quia id, quod de omnibus valet speciebus, de genere seu fonte communi valeat quoque, necesse est. Neque quispiam facile negabit, eum, qui virtutem, non propter alias quasdam res (ex gr. divitias, gloriam cet.), sed per se ipsam expetendam censeat, principium a formalibus parum discedens amplecti. Quæ si, ut spero, vera agnoscantur, carptim ex eis delibando, quæ de indole Sapientis fusius disputarunt Stoici, principium eorum non ita multum a formalibus differre, probare conabor.

Character Sapientis præcipuus fuit, eum omnibus perturbationibus et illecebris, e natura hominis sensuali oriundis, diligentissime evitatis, rationi solummodo præstare obsequium eamque servare animi ἀταραξίαν, qua, etiamsi omnia extra eum mutentur aut corruant, idem ipse remanet. Hinc illæ querelæ, Stoicos alteram hominis partem justo pluris æstimare, alteram vero omnino

x) Qui, edita ratione principii (vel, ut ipsi placet, principiorum) Stoicorum ita pergit: Dies sind doch in der That aus verschiedenartigen Quellen abgeleitete Principien. Am wenigsten kan man daran denken, dass das Kantische formale Princip der reinen Vernunft und Allgemeinheit des Gesetses das höchste der Stoischen Ethik gewesen sey, dieses war vielmehr vermischt, material und formal, zugleich vernunftig und religiös. l. c. pag. 299. — Heic non possum, quin observem, Kantium ab initio summum moralitatis principium ita proposuisse: Thue das vollkommenste, was durch dich möglich ist.

negligere. y) Quæ sane haud parvi essent momenti, si fides habenda esset Heinsio, in Oratione XXIII:a de Stoica Philosophia has eis attribuenti sententias: "instrumentum hominis esse corpus, longe ab eo, cujus instrumentum est, diversum. Ipsum autem hominem hoc esse, quod est ratio ac animus. Quare quæ illius bona sunt aut mala bona hominis aut mala esse, cetera extra eum esse et ad hominis felicitatem, nisi velit aut non recte opinetur, pondus ac momentum non afferre." z) Sin locos complures variorum scriptorum et imprimis Ciceronis conferre placuerit a) facile patebit, ipsos hoc tantummodo significare voluisse, neminem revera esse sapientem, nisi eum, qui sensualitatem ita rationi subjecit, ut omnia facta secundum hujus normam instituantur; neque tamen illam instrumentum tantummodo judicat, sed partem hominis revera constituentem, cujus saluti rationi obediendo, optime consulitur. Quæ vero quamquam ita sint, numquam ad eam, si de officio quæritur, est respiciendum, et nihil, quia conducat, omnia vero, quæ rationi (*τω θειοτερω εν ἡμιν μερει*) consentiant, sunt agenda. Quæ omnia quam parum dissentiant a placitis Kantii, principiis, ut ipse dicit, philautiæ, omnino oppositis, melius perspici poterit, si conferre placuerit Libri Ciceronis de Inventione II:i Cap. 52 et seqq. aliosque ejusdem auctoris locos, ubi Stoicos virtutem per se esse expetendam credidisse, aperte testatur. — Huc quoque pertinet dictum, a Stoicis sæpius laudatum, prave vero a multis intellectum *ὁτι πας αφρων μαίνεται*, quo, si quid videmus, nihil aliud innuere voluerunt, nisi eum, qui injuste agat, eo ipso facto declarare, se normam agendi subjectivam minime approbandam amplecti, quod vero qui facit, eum omnino aberrare a virtute, ad quam, nisi principium eligendo melius, nullus inviniri potest reditus. Cui quidem dicto ita explicato, amica sane sunt quæ habet Kantius: eine Handlung aus Pflicht hat ihren moralischen Werth *nicht in der Absicht*, welche dadurch erreicht werden soll, sondern in der Maxime, nach der sie beschlossen wird, hängt also nicht von der Wirklichkeit des Gegenstandes der

---

y) Vid ex. gr. Senec. Ep. 106.

z) Cfr. Albrecht Christian Rotth. Potiora Stoicorum Placita in doctrina morali, libris Ciceronis de Officiis subjuncta. Lipsiæ 1692 pag. 73.

a) v. c. de Finib. Lib. III. 5.

Handlung ab, sondern blos von dem *Princip* des *Wollens*, nach welchem die Handlung, unangesehen aller Gegenstände des Begehrungsvermögens, geschehen ist. b)

Præterea heic quoque observanda videtur distinctio, quæ procul dubio Stoicis originem debet, inter κατορθωματα et καθηκοντα. Illa, quippe quæ a perfecta virtute proveniant, sapienti uni competunt, hæc vero, quorum ratio probabilis afferri posse debeat, ab unoquoque, ratione prædito, possunt observari. Qui quidem modus ea, quæ bona videri possent, distinguendi, maximi, me judice, est momenti, quoniam, qui eum ignoret, in discernendo vere bono a contrario sæpe erret, necesse est. Eundem quoque sensum amplectitur Kantius, qui contendit, non omnia, quæ legi consentientia videntur, ejusdem esse generis, sed nonnulla moralitate, alia vero legalitate, posse gaudere, nec quemquam vere esse bonum (seu, ut Stoicis placet, Sapientem), nisi qui illa sit præditus.

§. 6.

Cum hac de summo morum principio disquisitione altera de finibus bonorum seu summo bono arctissimo conjuncta est vinculo. In qua enucleanda veteres omnem industriam operamque collocarunt et Kantius hàs duas quæstiones: quid faciam, et, quid possum sperare? animo cujusque credit obversari. Qua de re sententiam Stoicorum Kantianæ omninò esse oppositam, autumat Cel. Wegscheider, c) quia Kantius ideam summi boni consummati et virtutem et felicitatem complecti sit arbitratus, illi vero virtutem, a qua haud differt felicitas, summum bonum constituere affirmaverint. Neque facile negari potest, si verba accurate sequi placet, talem eis inesse sententiam. In re notissima unicum tantummodo liceat locum hæc commonstrantem afferre; summum bonum est, inquit Seneca, quod honestum est et quod magis admireris unum bonum est, quod honestum est, cetera falsa et adulterina bona sunt, nec bonum sine honesto est. d) Sin memoria repetere placuerit sententiam, jam a Cel. Stäudlin propositam e) cuique etiam assentitur Meyerus f), Stoicos in hac aliisque rebus du-

---

b) Grundlegung zur Metaphysik der Sitten. pag. 13.

c) Ethices Stoicorum Recentiorum fundamenta, ex ipsorum scriptis eruta &c. Hamburgi 1797 pag. 91 et seqq. d) Ep. 71. e) l. c. pag. 305, 306.

f) Vid. Comm. in qua doctrina Stoicorum Ethica cum Christiana comparatur

rius et hyperbolice interdum esse locutos, ut tali modo veritates, quibus nihil debet esse antiquius, facilius inculcarent, seu (secundum Senecam) ut ad verum mendacio veniretur, per se patebit Stoicos nihil aliud innuere voluisse, nisi virtutem unicam eandemque certissimam esse viam ad felicitatem illam internam, cui uni hoc nomen est tribuendum. Quæ si rite observentur, sententiam hac quoque de re Stoicorum haud magnopere a Kantiana differre, nemo non videt.

Restaret sane, ut mentionem injicerem quæstionis illius diu multumque agitatæ de libertate hominis morali, quæ uberrimam præbere posset comparandi materiam. Sed propter hanc ipsam prolixitatem hæc res a nobis intacta relinquatur, ne excedamus arctos opusculi limites, quos nobis proponere necesse fuit. Æqui rei æstimatores, quæ essent dicenda, facile vident. Liceat tantummodo lectores commonere de *τω ἡγεμονικω* Stoicorum et *νοουμενω* Kantii simulque ad illorum provocare effatum: *μονος ὁ σοφος ελευτερος*. De singulis vero Ethices partibus (ex. gr. de *αυτοχειρια*, impudicitia, cet) Kantium haud raro longe aliter atque Stoicos judicasse, vix est, quod moneam.

His explicatis tempus est huic qualicumque dissertatiunculæ finem inponendi. Ordinem, quem judicavimus rei naturæ maxime convenientem, elegimus; ita ut primum de principio, deinde vero de notionibus nonnullis, quæ arctissime cum eo cohærere viderentur, disseruerimus. Vidimus, ingenium Stoicorum Philosophiæ non magnopere a Kantiana recedere, ita tamen, ut hic propius ad veritatem accederet et quæ ab illis nimis obscure aut ambigue essent dicta, illustraret, coufirmaret, corrigeret. Nostrum in tali quæstione magis esse credidimus *monstrare*, quam *commonstrare*; qui enim qnomodo sit, perspicit, quare ita sit, intelligat quoque, necesse est. Sin interdum levia consectantes, omiserimus graviora, aut, quæ accuratius essent explicanda, justo celerius præterierimus, id rei obscuritati viribusque nostris inexercitatis B. L. attribuas, velimus.

&c. Gottingæ 1823 p. 14, ubi hæc occurrunt: nec minus ad hunc *τροπον διδασκαλιας* pertinet quod Stoici sæpius adhibuerunt *σχηματα* orationis, s. *figurate* imprimis *hyperbolice* loquuti sunt. *Quod si minus a nobis expensum fuerit, numquam æquum et verum judicium de Stoicis ferre poterimus.* Cfr. pag. 27.